Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 455
Quelle:
Copyright:

Operibus ab ejus obitu infarctus. Consule praevium *Maur. Monitum.*

VII. *fol.* 56. p. 2. *Incipit ejusdem. Dilectissimo pape et ei qui* (cum) *ipso est clero et qui in personorum prouincia habitant* (et) *in fide dei firmati sunt. Athanasius in domino gaudere.* Nugae graeci hominis, fortasse *Athanasii*, certe non *Alexandrini*, quarum Αυτογραφον graecum nemo prodidit, Versionem latinam, et quidem nostram, *Roma* ad se missam *Mauriani* T. II. p. 716. vulgarunt cum *Monito* praevio, quod consule, si lubet. Init. Epistola: *Sancta et diuinitus inspirata Scriptura* &c.

VIII. *fol.* 58. p. 2. *Dionisii Episcopi alexandrie ad paulum Samosathenum incipit feliciter.* Ita: *Dilectissimo fratri paulo episcopo anthiochie* &c. *Et primum scribente te scripsimus adtrahentes te* &c. *Pseudathanasius* superior hanc *Pseudodionysii* Epistolam pariter hic e graeco versam cum sua ad *Persas* mittit. Itaque haec illam etiam *l. cit.* p. 717. excipit. Versio eadem, quae Codicis.

IX. *fol.* 62. p. 2. *Incipit Orthodoxi et Apollinaristę Dialogus de Christo. Sancti Athanasij feliciter.* In hunc modum: *Orthodoxus dixit. Corpus humanum habuit Christus an non? Apolenares respondit. Non.* &c. Edidere *Mauriani* T. II. p. 471. *Dialogos V. de Sancta Trinitate*, quorum IV^us^. noster praesens est, meliore tamen Versione stipatus. *Athanasii* non esse, neque *Theodoreti*, sed aut *Maximi*, aut incomperti Autoris, *Monitum* ibi praevium pluribus exequitur. In Codice his verbis abrumpitur: *sic et ipsius vox est vox anime.* Quae respondent graecis: Ὁυτως αὐτε φωνη ἡ φωνη της ψυχης, edit. *Maur. cit.* p. 530. sub finem *n.* 8.

Codicem e Bibliotheca *Budensi* ad *Job. Fabrum* Ep. *Vien.* devenisse notum Προγραμμα illius in anteriore theca docet, transivisse vero per manus *Job. Alex. Brassicani*, credibile facit Testimonium *Photii* de Sermonibus S. *Athanasii*, calamo *Brassicani fol. ult.* adscriptum, quod ad verbum desumsisse videtur e supra memorata edit. *Vicentina* 1482. ubi, et bis quidem, *fol. b.* et *c.* 7. habetur.

CCLXIII.

Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 42. f. min. nitide exaratus, fronte & initiorum literis auratis, picturatis, verisimiliter olim, quamvis, quod sinistri ominis est, erasa sint regia Insignia, ad Bibliothecam *Corvinianam* a morte *Matbiae* non satis custoditam pertinens, dein ad *Job. Cuspinianum* delatus, ut ejus Μονογραμμα literis C M P id est, *Cuspinianus Medicus Poeta*, constans, et a *Conradi Celtis Protucii Poetae* Siglis C C P P sibi obversis probe distinguendum in aditu testatur, demum, ut triplici testimonio firmatum est, *Job. Fabri* Ep. *Vien.* ab eoque suo ad D. *Nicolaum* Collegio legatus anno 1540. continet D. *Basilii* Ep. *Caesareens. Homilias in* Ἑξαημερον, U. 85